

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio Practica ...

De Conversatione Apostolica A Curatoribus Animarum piè & fructosè
instituenda - Complectens vatos & solidos modos juvandi & consolandi
diversorum Statuum Personas afflictas, præcipuè ægras & captivas

Lohner, Tobias

Dilingae, 1677

Plooemium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48248](#)



PRO O E M I U M.

Gratia conversandi cum Proximo est singulare quod-dam donum gratis datum, & à concionandi talento multū distinctum, quo per privata colloquia spiritualia Homines ad DEV M reducuntur; est que hoc donum me-ritò permagni semper aestimatum ab Apostolicis viris, ut-pote quod multas ob causas paulo post infrà referandas majorem longè, quam ipse etiam Conclaves utilitatem ac efficaciam afferat ad animas DEO lucrandas, uti exemplo suo præclare Zelosissimus & laudatissimus Societatis no-stræ Operarius P. Petrus Faber confirmavit, de quo sic loquitur Nicolaus Orlandinus l. 9. Hist. Soc. Dicebat interdum ad Populam, sed in congressu, familiari-que colloquio vis major. In hoc ille ponebat omnia, in hoc hærebat, & habitabat. Hinc, ut idem Au-thor l. 3. n. 29. testatur, nullas pretermittebat occasiones serendæ pietatis. Indagabat vias omnes omnibus con-sulendi, & quocunque ingrediebatur, omnem sermonis occasionem intentâ mente captabat: quin intempestivæ se nonnunquam taciturnitatis accusans, cuius virtus plu-rima saltem bona fieri desinerent, quæ facta ab Homi-nibus salutem parerent, statuit in posterum accuratiùs interiori parere voci, & monentem spiritum exaudire, nunquam ut verbo parceret, sed in omni congressu atq; convictu curaret, quæ singulis diceret, & quemadmo-dum unumquemque moneret, ut, quisquis se ei jungeret, quasi è salis tactu æternæ vitæ sapore condiretur. Bel-lissimum quippe dicebat esse, & omnibus curam alienæ salutis gerentibus proprium, relinquere in omnibus do-mibus,



P R O O E M I U M .

mibus , quò divertunt , vestigium aliquod sanctitatis . Ubique collendum , cùm debitores sint omnibus , & ubique eos spectet D E V S , cuius ipsi Famuli atque Administratores existunt .

Unde meritò ad hanc artem addiscendam totis viribus incumbere debent omnes iij , qui & ipsi aliquando curam Animarum suscipere decreverunt . Quia verò Ars ista ob multa , quæ in ea exercenda plerumque intervenire solent , impedimenta & pericula per se satis difficilis est , atque adeò non nisi longà experientiā , aut certè præceptis per similem experientiam hanc addisci potest , operæ pretium futurum visum est , si , quæ Zelosissimi quique , expertissimique Animarum Curatores eum in finem nobis tradiderunt , præcepta in breve compendium redigerem , id quod præsenti libello efficere conabor , quem proinde in duas partes dividam , & priore quidem , quid ad Apostolicam Conversationem in communi requiratur , explicabo ; in posteriore verò , quid circa varias Conversations cum particularibus Personis ritè ac fructuose instituendas observandum sit , paulo fusiùs demonstrabo . Fas sit D E V S , ut , sicut labor hic ad D E I majorem gloriam , Animarūmque salutem unicè dirigitur , ita doctrinæ in libello hoc contentæ ab Animarum Curatoribus non modo benevolè suscipiantur , sed studiosè etiam ad eundem finem efficaciùs , copiosiusque consequendum practicentur .

¶) ? * * ? (§

P A R S